

- 18 In Curia Ecclesiastica non solet esse Relator: Quia in his est unus Judex.
- 19 Secus dum plures sunt, uti in tribunali Academico Quinque Judicum appellationum: quod una describitur.
- 20 In litione & relatione causa Senatores debent esse attentissimi.
- 21 Absoluto causarum examine, Judex de justitia causa statuere debet seposito omni partium singulari affectu.
- 22 Monitum Justiniani ad Judices.
- 23 Conforme monitum Josaphat Regis Juda.
- 24 Olim Indices in singulis causis jurabant, se secundum justitiam judicaturos.
- 25 Hodie idem jurant Judices in assumptione ad officium.
- 26 Jurant quoque se nihil a Partibus accepturos.
- 27 Quid hac in parte in Provinciis Confederatis ordinatur.
- 28 Quid in Gallia?
- 29 Indices ob male judicata frequenter restitutioni obnoxii sunt.
- 30 Parum speranda est executio Legum adversus Indicum corruptionem, nisi constituantur Judices avaritiam odientes.
- 31 Difficiliter habentur boni Judices, ubi officiorum venalitas invaluit.
- 32 Justinian. nullum medium efficacius reperit contra Judicum corruptionem, quam si gratis assumerentur.
- 33 Penitentiam officiorum dixit esse totius nequitiæ principium.
- 34 Justiniani formula quæ assumpti ad officium Judicis jurare debebant, se nihil pro eo dedisse aut promississe.
- 35 Similis formula ante Justinianum præscripta.
- 36 Bine formulæ similis juramenti hodie hinc usitate.
- 37 In litteris Patentibus exprimi debet, juramentum esse præstitum; & in continuatione Magistratum renovari.
- 38 Ut juxta has formulas verum juretur, debet omnis rei temporalis datio vel promissio directa & indirecta abesse.
- 39 Qui pecuniam dat aut promittit amico collatoris, ut ejus favore officium assequatur, juramentum hoc præstare non potest.
- 40 Quomodo non raro peccetur per eos qui prætextu Religionis Monasteriis munerâ largiuntur, ut favore eorum ad officia promoveantur.
- 41 Praxis communis, vel Principum conniventia dantes aut promittentes à perjurio excimere nequit.
- 42 Neque restrictio mentalis.
- 43 Dubium à Parochis Lovaniensibus propositum tribus Facultatibus hujus Universitatis occasione juramenti à Magistratu præstari soluit.
- 44 Responsum Facultatum, quo usus restrictionum mentalium reprobatur.
- 45 Scopus omnium juramentorum est, ut habeantur Judices, qui sine acceptione personarum justitiâ administrant.
- 46 Causa pauperum æquè ac divitum expediri debent.
- 47 Judex in definienda causa nullo privato affectu duci potest.
- 48 Ubique abesse debet casus pro amico.
- 49 Licet etiam causa utrimque sit admodum dubia.
- 50 In casu perplexo interdum res litigiosa inter Partes dividenda, nunquam autem utendum est casu pro amico.
- 51 Ne Judex à justitiâ tramit & deflectat, debet in eo esse magnus amor veritatis & justitiæ, reliquos humanos affectus superans.
- 52 Merito dum judicandum est, exposcit lumen à Patre



Rinquam Judex ad sententiam definitivam procedat, præmittenda matura & exacta discussio; jubeturque Judex utramque partem sæpius interrogare, num quid novi aliquid addere desideret: eum ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda causa per Judicem, sive ad

majorem potestatem referenda sit." L.9. Cod. De Judiciis. Quam legem Tribonianus interpolavit ex L.1. Cod. Theod. De Officio Judicis in causis cognoscendis, cujus hæc est sententia: "Judex eum causam audire cæperit Litigatorum assertiones vel responsiones patienter accipiat, & omnia plena discussione perquirat. Nec prius litigantibus sua sententia velit obviare, nisi quando ipsis peractis omnibus, jam nihil amplius in contentione habuerint quod proponant: & tandiu actio ventiletur, quousque rei veritas perveniat, frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermisissum fortasse maneat: Quia si apud ipsum finienda causa est, totum debet agnoscere."

Itaque ante pronuntiationem sententiæ, nimirum definitivæ, & in causis magni momenti, quæque accelerationem specialem non requirunt, audienda sunt utrimque Partes in suis allegationibus; ipsæque Judex allaborare debet, ut ipsa causa plenè instruat, nihilque omittatur, quod ad elucidandam veritatem & assequendam justitiam causæ conducere possit.

II. Si unus litigantium ulterioribus productionibus aut allegationibus renuntiaverit, dicaturque se nihil amplius habere quod proponat, alter verò nondum velit renuntiare, sed moras neget, prætextens se habere quæ ulterius proponat voluit Justinianus, triginta dies ad eam rem dari, tum alterum mensem indulgeri: & si ne quidquam tunc ille proponat; mensem præligi ei tertium ad proferendum reliquas suas allegationes probationesque; eoque spatio elapso, Judicem causam concludere absque expectatione longiore. Novell. 155. c. 2. addens rationem suæ Constitutionis: Ne litigatoribus malè certantibus liceat causarum exitum ultra protrahere.

III. Hinc concludunt communiter Pragmatici, juri conformem esse hodiernam praxim, quæ habet, quod altera parte concludere in causa nolente, Judex eam invitâ in contumaciam ex officio causam pro conclusa acceptare, & ulterius ad sententiam procedere queat. Vide Damhouderum in Praxi rerum civil. c. 191. & latius Merulam in Praxi Curia Hollandicæ lib. 4. tit. 84.

IV. Ubi per conclusionem in causa partes ulterioribus allegationibus renuntiârunt, aut Judice pronuntiante in causa esse conclusum, ulterioribus allegationibus via præclusa est, nihil novi ad causam spectans allegari ulterius potest, nisi de speciali licentia Curia, per specialem Libellum petendâ; quem Libellum vocant *Requestam seu l'illelum civilem*; diciturque; art. 466. ordnat. Curia Brabantia, eam licentiam non esse dandam sine magna & notabili causa: *Welck sy nochtans niet en sullen mogen doen sonder groote ende merckelyckê saecke*. Id est: Quod nihilominus sine gravi & notabili causa facere non poterunt.

V. Insuper art. 469. veratur, occasione hujus libelli civilis litem institui à principali distinctam; sed si pars adversa contendat, libellum non esse admittendum, rationes rejectionis unâ cum libello esse jungendas causæ principalis & si ex rationibus allegatis appareat, eum esse rejiciendum id in sententia super principali exprimi debere. Verba articuli sunt: *Wy willen ende ordonneren dat die voorsz. requeste metter altercatie van partye gevnegh sal worden tottê principalen processe, om in't visiteren van dien daer op genomen te worden sulcken aenschouwing als't behooren sal, ende ingevalle dat in't visiteren van den principalen processe men bevindt, dat de voorsz. brieven behooren gherejsteert te worden, wy willen't selve gedeclareert te zyne by de sententie diemen ten principale gheven sal, sonder datmen den Partyen sal moghen ordonneren verscheydelijck te procederen op't principael ende Requesten Civile*. Id est: Volumus & statuimus, ut præfatus libellus cum altercatione partis jungatur liti principali, ut in illius examine habeatur ratio ejus, prout æquum fuerit. Si autem in examine litis principalis deprehendatur, prædictas litteras esse rejiciendas, volumus ut in sententia definitiva liti principalis id ipsum exprimat, nec fas erit partibus injungere, ut seorsim super principali litigent & super libello civili.

VI. Notandum autem, conclusionem in causa tantum fieri respectu ipsarum Partium; scilicet ipsæ Partes ab ulteriore causa instructione, & factorum allegatione abstinere debeant: nequaquam verò respectu Judicis, potest enim Judex ex officio rescindere conclusionem, partibusque injungere *ulteriore* causæ instructionem & elucidationem: quo nihil hodie usitatum est. Vide Merulam citato titulo cap. 2. num. 6. & ibi citatos.

VII. Insuper nunquam censetur conclusum in causa quoad ea, quæ juris sunt. Unde & licet litigantibus post conclusionem in causa exhibere *motiva* juris tot, quot iis videbitur; nec Parti eorum communicatio facienda est. Merula ibidem num. 9.

VIII. Conclusionem causæ factâ, Judex tenetur se accingere ad totius causæ examen, omniaque diligenter discutere, & singula à Partibus hinc inde allegata attentè examinare; cavendo, ne unius Partis rationes & fundamenta celerius, quam alterius percurret; sed pari attentione, absque ulla personarum acceptione, utrimque allegata ponderare.

IX. Ut examen & discussio causæ exactius fiat, ipseque status causæ, & difficultas questionis melius percipiatur, & judicibus innotescat, in plerisque Curia & tribunalibus, præsertim sæcularibus usitatum est, ut mox à conclusionem causæ nominetur unus de Senatoribus, cui causæ examinanda discedendaque committitur; quique eam breviter in Senatu exponat & referat, quem propterea *Relatorem* vulgò *Rapporteur* vocant.

X. Hic à Præsidis Concilii de Senatoribus assumi solet; nominatimque dicitur art. 79. Ordinat. Curia Brabantia, causas per Cancellarium distribuendas esse, prout ei videbitur, ita, tamen, ut non distribuat illi, coram quo testes auditi fuerant, nisi per Curiam aliter ex causa esset ordinatum.

XI. Item art. 80. decernitur, Senatores nec per Partes, nec per alios directè aut indirectè inflare posse apud Cancellarium, ut relationem alicujus causæ habeant; aut alteri factâ sibi allumere possint. *Dat onse Raedes luyden onsen voorsz. Cancellier by hen of by Partyen noch iemant anders directelijck of indirectelijck en sullen mogen solliciteren om eenighe rapporten te hebben, noch rapporten over-nemen anderen ghedistribueert*. Id est: Ut Consiliariis nostris non liceat cum per se, tum ad interventionem partium aut cujuscumque demum, prædictum nostrum Cancellarium directè aut indirectè inducere, ut alicujus causæ relationem obtineant, aut ut relationes aliis distribuas assumant.

XII. Et ne litigantes Referendarium ad sibi favendum alliciant aut sollicitent, cautum est art. 85. ut nulli de Senatu, sive ipse Referendarius sive alii significant Litigantibus, cui relatio causæ sit commissa, sed id silentio premant. Verba articuli sunt: *dat die van onsen Raede het zy Rapporteur of andere, de Partyen niet en sullen te kennen gheven, wie heur Proces heeft te rapporteren, maer sullen 'selve secret houden*. Id est: Ut Consiliarii nostri, sive liti Relator sive alius, non declarent partibus, cui liti earum relatio commissa; & silentium de se servent.

Id ipsum habent instructiones Curia Hollandicæ a. 150. apud Merulam lib. 4. tit. 85. cap. 5. adduntque, quod si Referendarius aliquo modo à litigantibus molesteretur, ita ut suspicetur, iis innotuisse, relationem causæ sibi esse commissam, tenebitur id Curia significare, ad hoc ut causa alteri referenda committatur; vel aliâ per Curiam, prout visum fuerit, provideatur.

XIII. Monet ibidem Merula c. 3. n. 1. Præsidem, Cancellarium, aliumve, cui designandi Referendarios cura incumbit, debere sedulo attendere, quis præ cæteris ex Senatoribus huic illive causæ examinanda & referenda conveniat. Licet enim supponatur, omnes Senatores esse juris & præ eos scientiâ citè instructos, certum tamen est, unum in una materia, alium in alia magis versatum & industrium esse; posseque facile ipsi Præsidi aut Cancellario innotescere ex conversatione, necnon discursibus in Senatu habitis, unum præ alio his illive causis referendis fore aptiorem.

XIV. Multum ergo ab officio boni & juri Præsidis aut

Cancellarii redeunt, qui ad sollicitationem Partium, aut amicorum, aut quod pejus est, interventu munerum, Referendarios causarum designant, non quos referendis causis judicant capaciores, sed Partibus sollicitandibus magis placentes.

XV. Officium Referendarii est, postquam causam reperit debite instructam, eamdem diligenter examinare, atque ex actis liti debita extracta conficere, ut per ea queat cognoscere, & in Senatu ostendere, quæ ad intellectum & decisionem causæ servire possunt.

XVI. Factâ per Referendarium summariâ causæ relatione juxta prædicta extractâ, tunc causa integra, priusquam ad decisionem veniatur, in Curia legenda est: & si aliqua instrumenta sint exhibita, quibus Pars exhibens uti nolle, sed tantum certâ illius clausulâ, vel una, vel plures clausulæ ad causam spectarent, tunc Referendarius tenetur eam vel eas clausulas ad materiam spectantes designare; ut super iis tantò attentius reflectatur: atque tum arbitrio Curia vel hæc dumtaxat clausulæ, vel totum instrumentum legatur; prout cautum est art. 83. Ordinat. Curia Brabantia.

XVII. Lecturâ absolutâ, debet rursus Referendarius distinctè repetere, & indicare puncta & difficultates, à quibus ipsa decisio causæ præcipue dependet. Art. 84. Verba sunt: *Ende naer dat 't proces ghelesen sal wesen, soo sal den Rapporteur gebouden sijn beschevelijck te verbaelen ende te toucheeren die puncten ende difficulteyten, op de voelcke de decisie van de materien staen sal*. Id est: Liti verò perlectâ, causæ Relatoris manus erit, ut distinctè repetat & indicet puncta & difficultates, à quibus decisio causæ pendebit.

XVIII. In Curia Ecclesiastica non solet esse Relator sive Referendarius: quia unus solet in his esse Judex, qui Assessor uti consuevit, qui causam discutiat, eique referat, de quo supra actum est tit. 6. cap. 1.

XIX. Ubi autem tribunal Ecclesiasticum constat pluribus Judicibus, etiam ex illis eligitur aliquis Relator vel Consiliarius, qui causam instruit, dirigit, & aliis summariè refert. Simile tribunal ex antiquissima consuetudine habet Academia Lovaniensis, constans ex quinque Judicibus, & idcirco dictum tribunal *Quinque Judicum*; ad quos à sententiis Rectoris Acedemici immediatè appellatur; neque de ullis causis cognoscant in prima instantia, sed solum de causis appellationum; ideo dicti Judices *appellationum*. Hos Judices sive tribunal describunt Fasti Academici Studii generalis Lovaniensis p. 34. edit. an. 1650. his verbis: "Quod si Rector judicando errâsse, aut male & perperam judicâsse dicatur, errorem illum corrigit ipsa Universitas, id est, *quinque Judices appellationum*, qui Universitatem repræsentant, (quosque Universitas eam in rem ab ipsa sui origine, singulis semelstribus, quoties novus eligitur Rector, ex qualibet Facultate nominare & deputare solet) coram quibus seu majori parte eorundem, omnibus tamen vocatis, Rector sententiam suam justificare tenetur."

Hi quinque Judices mox ut electi sunt in ipsa Universitatis Congregatione, "unum ex eorum Collegiis in *Commissarium* eligere debent, mandando illi vices suas pro observatione terminorum in causis appellationum observandorum, ac pro interlocutoriis vim definitivæ sententiæ non habentibus; cui sit autoritas & potestas alios Judices & Collegas per unum ex Bedellis convocandi, cum res postulabit." Ita ordinant Statuta Universitatis titulo *De Officio Jurisd. DD. Quinque Judicum causarum appellationum*.

XX. Sanè evidens est, hæc omnia unice ordinata esse, ut Judices de causa sint plenè & perfectè instructi, priusquam causam decendant; quod spectat quoque art. 89. earundem Ordinationum, ubi præcipitur, ut Cancellarius & Consiliarii tempore relationis & lectionis causarum diligenter attendant, operamque diligentem adhibeant, ut eas benè intelligant & retineant; ut nec eodem tempore aliud aliquid legant, scribant, conferant, vel aliquid agant, quo ab audiendo, intelligendo, necnon discursibus in Senatu habitis, unum aut alios impedire vel divertere.

XXI. Factâ totius causæ discussione, omniumque alle-



gatorum maturâ consideratione, judicis est, seposito omni humano affectu, solam justitiam & veritatem præ oculis habendo, serio perpendere & discutere, à qua Parte stet justitia causa.

XXII. Hunc in finem statuit Justinian, in L. 14. Cod. De Judiciis, "omnes omnino Judices Romani Juris dispensatores non aliter litem primordiū accipere, nisi prius ante sedem judicialē sacrosanctâ deponatur scripturâ: & hæc permanente non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus, usque ad ipsum terminum, & diffinitivæ sententiæ recitationem." Deinde subjungit: "Sic etenim attendentes ad sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex majore præsidio lites diriment, scilicet, quod non magis alios judicant, quam ipsi judicantur: cum etiam ipsis magis, quam partibus terribile judicium est: siquidem ligatores sub hominibus, ipsi autem Deo in spectore adhibito causas proferunt trutinandas."

XXIII. Illud est, quod jam pridem pius Rex Judæ Josphat lib. 2. Paralip. cap. 19. præcepisse judicibus legitur: Videte (ait) quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

Deinde addit: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite, non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas nec personarum acceptio, nec cupido muneris.

XXIV. Ad id ipsum tendit, quod judices olim nullam causam suscipere poterant, nisi prius sacramentum præstissent, omnimodò sese cum veritate, & Legum observatione judicium esse disposituros. Uti refertur in citata Lege 14.

XXV. Hodie judices, non quidem ad singulas causas, sed semel in assumptione ad officium judicis simile juramentum præstare jubentur. Et quidem juxta formulam juramenti præstandi ab omnibus, qui in Judicibus assumuntur (quæ habetur ad calcem Edicti criminalis de 5. Julii 1570. extatque parte 2. Edict. Brab. lib. 2. tit. 3. cap. 1.) jurat assumendus, quod ad ministrabit omnibus subditis, aliisque, à quibus requiratur, bonam, veram, & sinceram justitiam, absque intuitu lucri, odii, invidia, vel amicitia cujusquam, & quod nulli favere ultra id, quod ratio & justitia permittent. Verba articuli sunt: Ick sovere, dat ick sal doen ende administreren goede, vvaerachtighe, ende oprechte justitie, den onderstaen ende anaere, die my des verfoecken sullen, sonder aenschouwen te nemen op vwinninghe, haet, nydt, oft vruetschap van semanden, ende sonder iemant meer te favoriseren, dan recht ende redene tuelatende zyn. Id est: Juro me curaturum, ut administratur bona, vera, & sincera justitia subditis meis, aliisque id requirantibus, seposito omni intuitu lucri, odii, invidia, aut amicitia cujusquam, nec ulli quoquo modo suffragaturum, ultra quod ratio & justitia permittent.

XXVI. Insuper jurat juxta eandem formulâ, quod nihil petet aut exigit à quopiam; imò nec acceptabit, tamen ex gratitudine sponte offerretur aut daretur; sed contentus erit salatio à Principe sibi designato; nec patietur, quod aliquis sibi subditus, vel ipsi assistens aliter faciat. Verba sunt: Dat ick van niemanden vrie dat oock sy, egheene dinghen eyschen oft exigeren sal, noch oock aenveerden oft ontfanghen al vvaer dat de selve my van selfs nye danckbarheyt ghepresenteert oft ghegheven vvaerden, maer sal te vreden zyn met myne vvedden ende behoerlycke salarsen by zyne Majestajet tot mynen voorsayde staet gheordincert: ende en sal niet liden aat eenighe, vvesende onder mynen last ende bevel, oft aie my assisteren, anders doen sullen. Id est: Quod à nullo quocumque demum quidquam petam aut exigam, neque etiam recipiam aut admittam, quantumvis etiam ultionè & ex gratitudine offerretur aut donaretur; sed quod contentus ero mercede mea, & stipendio convenienti, per suam Majestatem pro conditione mea prædicta designato. Deinde quod non permittam, ut ullus curæ meæ aut imperio committatur, aut qui mihi assistat, aliter faciat.

Id ipsum exprimitur in formula juramenti præstandi ab omnibus judicibus in Brabantia, quæ extat in Læto Introitu

Caroli V. & Philippi II. art. 1. i. inserto parti 1. Edict. Brabantia lib. 2. tit. 1. cap. 15.

Si hæc formulæ juramenti serio expendantur, apparebit, quomodo Judices non tantum vi officii sui teneantur sine ullo muneris intuitu aut amicitia, sed & vi sui juramenti omnibus indifferenter justitiam administrare, & ab omni munere etiam gratuito oblato abstinere.

XXVII. Refert Simon Van Leeven in Censura Forensi parte 1. lib. 5. c. 7. in Hollandia cautum esse, "Ubi ut Præfides, Senatores, eorumdem conjuges, liberi, ministri, aut alii, quos in familia alunt, de Partibus litigantibus ulla dona quantalacumque, ne esculenta poculentave accipiunt, severissimè prohibetur, sub pœna ordinis motionis, & arbitrariæ insuper correctionis: Tenenturque Senatores, res utriusque Curie Hollandiæ, quotannis se solenni juramento expurgare, neque à se, neque à conjugibus, liberis, vel suis, aut à familia, ullave alio ad ipsos pertinente, hæc in re ipsi conscius fuisse peccatum, & nequid in posterum peccatur, se probè curaturos."

XXVIII. Plura eundem in finem ibidem ordinata recitari: monetque n. 3. similia etiam statuta apud Gallos repetiri; quodque nominatim Edicto Caroli IX. & Henrici III. etiam esculenta & poculentave præberi prohibita sint sub pœna concussionis & remotionis à munere in judice, in hujusmodi causa cadat, eaque re frustretur, cujus causâ judicem donis delinere fuerit aggressus, conformiter ad jus Romanum in l. 1. §. fin. Cod. De Pœna judicis, qui malè judicavit.

XXIX. Et licet hodie ob malè judicatum raro Judices conveniantur, aut condemnentur; eò quod concessio & dolo vel corruptio difficulter probari queant, nihilominus certum est, quod Judices munera accipientes, non tantum violationis juramenti rei sint coram Deo; sed & non raro obnoxii sint restitutioni eorum, quæ Pars litigans per iniquam sententiâ passa est: tamen etiam supponitur, nec ex proposito nec dolo malo Judices iniquam sententiâ tulisse; sed per crassam juris ignorantiam, aut execrationem, neglectum examinis, quæ munera accepta in ipsis pepeterunt, juxta illud Sapientis: Munera excæcant oculos Sapientum. Quandonam autem juxta hodiernos mores possunt Judices ob malè judicata conveniri in foro externo, etiam criminaliter, vide Bugnionium De Legibus abrogatis lib. 1. c. 124. ibidem citatos à Christino in notis.

XXX. Verum parum proderunt juramenta, parum efficiunt leges etiam severissimæ adversus Judicum corruptionem, nisi & sine corruptione & acceptione personarum Judices constituantur, qui oderint avaritiam, & justitiam magis quam munera diligant, eamque omni humano favor præponant; sintque tales, quales describuntur Exodus 18. v. 21. Viri potentes, & timentes Deum, in quibus sit verum, & qui oderint avaritiam.

XXXI. Verum spes exigua est, hujusmodi Judices eligendos, si per pretia & munera, & non per merita ad officia via pandatur: nam uti rectè respondisse fertur S. Thomas Aquinas Ducissæ Brabantiæ interroganti: Num licitum esset vendere officia secularia, venditionem illam sibi expedientem omnino non videri: "Cum frequenter contingat (ait) quod magis idonei sint pauperes, ut tale officium emere non possint. Quin etiam si tales divites sint, tamen quia boni sunt, officia non ambiunt, nec ad lucra inhiant: & sic illa officia emunt ut plurimum hi, qui peiores."

XXXII. Quinimò Justinianus Imperator noctu diuque animo versans, quomodo à judicis iniustitiam, quam in omnibus penè causis venerat, arceret, hoc unum fore remedium agnovit, "Si (ait) Præfides gentium, quicumque civiles administrationes Provinciarum habent, puris, procutemur uti manibus, & ab omni abstinere acceptione, pro illis solis contentos eis, quæ à Fisco dantur." Novella 8. in Præfat. §. 1.

Sed qua ratione id obtinebitur? "Non aliter (inquit) fiet, nisi & ipsi singula sine mercede accipiant, nihil omnino dantes nec occasione suffragiorum, neque iis, qui cingula habent, nec alii omnium ulli."

Con-

"Consideravimus enim (pergit Imperator) quia licet quæstus inmodicus inminuat imperio, attamen nostri subiecti incrementum maximum percipiunt, si indemnes à iudicibus conserventur; & Imperium & Fiscus abundabit, utens subiectis locupletibus: & uno hoc introducto ordine, plorantia rerum & innumera erit ubertas."

XXXIII. Post hæc enumeratis multiplicibus incommodis, quæ ex venditione officiorum in Rempublicam & subditos nata sunt redundare, audeat concludere: Et omnino una quadam est hæc omnium occasio malorum: & accipere suffragium à Judicibus totius nequitia est Principum.

Suffragium hic est, pecunia quæ suffragatoribus Aulicis datur, promittiturve honoris adipiscendi causâ. Vide notam 3. ad citatam Novellam.

XXXIV. Hoc ut exactius observaretur, statuit c. 7. ejusdem Novellæ, quod is, qui accepit administrationem, jurare debeat, Nihil penitus, nec quodlibet se præbere, neque occasione suffragii neque patrocinii. Neque promittere, Neque de Provincia proficere dirigere, neque gloriosissimis Præfatis neque aliis cingula habentibus, neque iis, qui circa illos constituti sunt, nec alteri culibet per occasionem patrocinii.

XXXV. Similis formula juramenti præstandi ab iis, qui ad provincias administrandas accedunt, extat in L. fin. Cod. ad Legem Juliam repetundarum, ubi tamen luculentius exprimitur, quæ in ipsa formula Justiniani non quidem nominatim exprimitur, sed tamen comprehenduntur; nimirum se pro administrationibus sortendis neque dedisse quidpiam, neque daturus umquam postmodum fore, sive per se sive per interpositam personam, in fraudem Legis, sacramentique aut venditionis, donationisve titulo, aut alio velamento cujuscumque contractus.

XXXVI. Bine sunt formulæ juramenti hodie in Belgio usitatores, juxta quas aliamendi ad officium judicis vel Magistratus jurare jubentur, non abstantes prædictis formulis jam pridem ab Imperatoribus præscriptis. Una eaque prolixior contenta in Læto Introitu Principum nostrorum, qua assumendi ad Officia & Magistratus jurant, se nec pecuniam, bona, munus, mitam, nec aliquid obsequiū, nec beneficium dedisse, promississe, obtulisse, aut dari, promitti, vel offerri suo nomine curâle: insuper nec precibus sollicitasse, aut sollicitatorem interposuisse quocumque modo. Verba formulæ idiomate vulgari expressæ sunt: Dat sy om Borghemeesterschap Schependomme, ende Raedtschap, goet, geldt, gifte, myde noch eenighe hande dienst, noch goet doen, ghegheven, ghelofte, noch gheboden hebben, noch doen gheboven, gheven, noch bidden yemanden van hebreren vvegen, noch daeromme gheboden, noch doen beden, in eenighe manieren. Id est: Quod ipsi pro Consulatu, Scabinatu, aëssu Consilii, nec bona, pecuniam, munera, nec cuiuscumque generis obsequia aut compensationes, dederint, promiserint, obtulerint, nec promitti dari, aut offerri cuiquam suo nomine curârent, nec idcirco rogarint, aut rogari jusserint quocumque modo. Extat parte I. Edict. Brabantia lib. 2. tit. 1. cap. 15. art. 11.

Altera formula succinctior, quæ omnes passim ad officia quæcumque promovendi jurare jubentur ad manus Regis, sive Primarii Officii, aut alterius, qui nomine Regis juramentum excipere solet, exprimitur in Edicto Philippi IV. de 2. Maji 1626. quod extat Parte 1. Edictor. in Brabantia, lib. 3. tit. 14. cap. 2. Juxta hanc formulam promovendus jurat, se nec pro statu isto aliquid querens, nec ejus intuitu quidquam cupiam, sive in pecunia, sive in alia quacumque re obtulisse, promississe, aut dedisse; nec ita offerri, promitti, aut dari curâle, vel curaturum, aut daturum, directè vel indirectè, aut quovis alio modo: salvo dumtaxat eo, quod pro expeditione erogati continevit. Tenor formulæ vulgari idiomate expressæ est: Dat hy om den voorschre ven staet te verobryghen, oft ter oorsuecken van dien, egheene geldt, noch eenighe andere dinghen, hoedaenich de souden mogen zyn niemanden gheboden, beloost, noch ghegheven enbeeft, noch doen bidden, behoover, noch gheven en sal, vvoeyn dat ter oock zy, directelijck, oft indirectelijck, Van Espen Jur. Eccl. P. III.

noch ander sint in eenighe manieren, behalvens t'ghene, dat men ghevonnelijck is t'gheven voor t'expediente, ende depeche. Id est: Quod ipsi, ut prædictum statum adipisceretur, aut ratione illius, nec pecuniam, nec aliud quidpiam qualecumque demum cupiam obtulerit, promiserit, aut dederit, nec offerri, promitti aut donari curaverit, nec daturus sit cuicumque tandem, directè aut indirectè, nec alio quocumque modo, eo dumtaxat excepto, quod pro litterarum confectione dari consuetum est.

XXXVII. Vult autem Princeps, ut in omnibus commissiõibus, sive litteris patentibus expediendis, super provisione officiorum, hæc formula juramenti inseratur: ideoque indilate hoc juramentum præstari præcipit, nec antequam præstitum sit, litteras, sive patentes provisionis tradi. Insuper declarat, id ipsum observandum in renovatione & continuatione Magistratum: neque posse novos Magistratus ante præstitum hoc juramentum ullam functionem Magistratus obire, sub pœna nullitatis, quodque dicta officia vacabunt, & pro ea vice ad Principis collationem spectabunt.

Si in litteris continuationis dicatur, sub juramento antea præstito, tunc per acceptionem litterarum & continuationis, censetur renovatum juramentum, tamen illud expressè & nominatim non repetatur.

XXXVIII. Si prædictæ juramenti formulæ, in verbis quidem nonnihil differentes, sed in substantia & sensu planè conformes, citè expendantur, non obicium erit, omnem planè pecuniam, alteriusve rei temporalis dationem, promissionem, vel oblationem, directè vel indirectè, pro allequendo officio, debere esse exclusam, ut juramentum citra perjurium juxta prædictas formulas præstari queat.

XXXIX. Insuper nequaquam ambiguum est, eum citra perjurium crimen hoc juramentum præstare non posse, qui licet Principi aut Magistratui, ad quem officii collatio spectat, pecuniam munusve non obtulerit, promissitve, illud tamen promittit obtulitve per se vel per alium directè vel indirectè illis, quos sciebat gratiâ apud Principem vel Collatorem valere. Quia licet non immediatè Collatori officii pro allequendo officio pecuniam aliudve temporale dederit; reverà tamen, saltem indirectè & obliquè ad officium illud allequendum, & Collatorem inclinandum, pecuniam dedit aut promittit: unde nec verè jurare potest, se pro allequendo officio nihil dedisse, promississe, aut obtulisse directè vel indirectè, aut alio quovis modo.

XL. Dicit Zypæus lib. 1. De Judice c. 38. n. 5. quod ambitiosis, contra quos apud Romanos varia Leges late fuerunt, "hodie accedant, qui in speciem religionis fortunâs effundunt, & aliquibus piis locis donationes faciunt, ut per eorum Præfectos suffragia consequantur, quæ apud alios emere non liceat."

Sanè qui munera offerunt Monasteriis, aliisve piis locis, ut iis mediantibus Sodalium illorum gratiam aucupentur, atque hoc pacto per ipsorum intercessionem & commendationem à Principe aut Magistratu officium obtineant, non tantum ambitionis, sed & perjurii rei sunt; si juramentum ad præscriptum supra expressæ formulæ faciant. Nimis enim manifestum est, hujusmodi munere dationem ultimè fieri, ut per ipsos Monasteriorum & piorum locorum Præfectos & Sodales ad officia perventatur.

XLI. Qui ex multorum praxi, & Principum, ut ajunt, scientia & conniventia pallium contegendi sua juramenta sibi conficiunt, attendant, quod licet Principi quidè fas esset ex iusta causa præstandum sibi juramentum interdum remittere, nequaquam tamen multorum praxi aut Principis conniventia, imò nec expressa voluntas sufficiens est, ut dum juramentum sub certa verborum formula præstatur, possit citra perjurium ad eam formulam jurari, si vera non sint, quæ juramento asseruntur. Itaque qui jurat, se nec directè vel indirectè pro allequendo officio pecuniam dedisse, à perjurio excusari nequit, si pecuniam directè vel indirectè dederit per quocumque contrariam praxim, aut Principis scientiam & conniventiam.

XLII. Neque juramentum justificabit, quod forsitan in